Cheureusia nunquam non in aliena damna ingeniosa prima regi de Fouqueto loqui ausa dicitur. Occupaverat Fouquetus annuis et menstruis largitionibus matronas, puellasque ex gynecaeo praecipuas, retinendae apud reginas gratiae. Cheureusia neglecta injuriam delectationibus vindicavit.

Auxiliares ab Electore Moguntino in Hungariam missi, militari petulantia plures circa Iavarinum pagos exusserunt.

Starembergius fato sublatus: ex caeteris ducibus Leopoldus Marchio Badensis, Gotzius, Sporkius, Ulrams husius, cum morbis conflictantur, magno rebus gerendis impedimento.

Comitis armaniaci uxor, Menevillia Plessibellena consiliis Fouqueti innexa.

Turcae Keminio domesticum aemulum suscitarunt, Michaelem Abbaffium sua commendatione a popularibus nec tum consensu acceptum. Saxonicae civitates illi Sacramentum dixere, Transylvani et Siculi adhuc ambigunt.

Polonia morbis, annonae angustia et quod praecipuum est militari seditione affligitur.